



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Regale Sacerdotivm**

**Besse, Pierre de**

**Coloniae Agrippinae, 1615**

Cap. 23. Sacerdotes tribulationes perferant.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54698](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54698)

sessione audiuitis communicetis, sed ipsum celate & abscondite.

Non reue-

Paulus è tertio reuersus caelo, in quo arcana audierat verba, quæ inaudisset, dicere noluit, quare ait, *Audiui arcana verba, quæ non licet homini loqui*, imò nec audire. Idem dicatis oportet, Sacerdotes, cumque ab Ecclesia & à tribunalibus illis confessionarijs, in quibus tot iniquitates audiuitis, domum conceditis, cogitatis, audisse vos secreta, quæ homini reuelari non licet, quamuis etiam dicere nolenti, dirissima supplicia, cruciatus, in ò & grauissima quæ excogitari potest mors intentaretur.

lauit ea  
Paulus  
quæ in pa-  
radiso au-  
diuit.  
2. Cor. 12.

CAPVT XXIII.

*Sacerdotes tribulationes perferant.*

**I**UDITH in obsidione Bethuliensi ciues suos ad fortitudinem animi & constantiam adhortata, & aduersus omnia ingruentia mala animum illis addens ait, *Memores esse debetis, quomodo pater noster Abraham tentatus est, & per multas tribulationes probatus Dei amicus effectus est, sic Isaac sic Iacob sic Moyses, & omnes qui placuerunt Deo, per multas tentationes transierunt fideles.* Quod cordata illa virago Bethulien- sibus, ipsum omnibus in genere Sacerdotibus dicere volo, vt scilicet recordentur, omnes Dei amicos & intimos tribulationum examine probatos esse, eosque aduersitatibus etiam debere assuescere.

Amici Dei  
tribulatio-  
nibus pro-  
bantur.  
Iudith 8.

*Multa tribulationes iustorum*, ait Psalmista & de omnibus ijs liberabit eos Dominus. Generale hoc oraculum de solis Sacerdotibus singilla-

Psal. 33.  
Sacerdotes  
ad tribula-  
tiones na-  
tim.

Tribulatio cognitionis causa.

*Eccle. 34.*

rim intelligendum est, qui ad tribulationes sustinendas destinati sint; quare cum ad eas ratione vocationis perferendas teneantur, patientur eas ac perferant necesse est.

*Qui non est*, inquit Salomon, *tentatus quid sciti* quamnam mundi notitiam habet. Hoc scilicet ex aduersitatibus & afflictionibus nati bonum solet; quas quicumque nunquam gustauit aut sensit, ac praesertim Sacerdos, ignarus & velut rerum expertus habendus est.

*Math. 10.*  
Sacerdotes mittuntur vt oues in medio luporum.

Christus Apostolis sortem illorum patiens ait, *Ecce ego mitto vos sicut oues in medio luporum.* Sacerdotes, cum Apostolorum vos successores sitis, cogitare debetis, quemadmodum ipsi missi fuerunt, eundem ad modum vos esse missos, & vt illi persecutiones perpeffi sunt, ac velut oues in medio luporum vixere, id ipsum quoque vobis faciendum,

Sacerdotum hostis est mundus.

*Math. 24.*

*Tradent vos in tribulationem & occident vos, & eritis odio omnibus gentibus propter nomen meum.* &c. dixit olim discipulis Iesus Christus. Idem quoque ipse consulo Sacerdotibus; mundus eorum aduersarius est, aduersus vitam & incolumitatem eorum conspirauit, & persecutio laborat illos vt exerceat & fatiget, vtque omnibus odio sint conicitur; quare patienter cuncta sustineant necesse est.

*Ioan. 15.*  
Vt Christus persecutionem est passus, ita & Sacerdotes patientur.

Dixit iisdem & alio loco, *Non est seruus maior Domino suo; si me persecuti fuerint, & vos persequentur.* Optimum argumentum, e quo illa inferenda consequentia, si Dei filius, qui summus omnium Christianorum magister & caput est, tribulationes subire debuit, Sacerdotes qui non nisi serui eius sunt, conflictum hunc etiam subire necesse est, & eandem sortem experiri.

In om-

In omnibus, inquit Apostolus, exhibeamus nosmetipsos, sicut Dei ministros, in multa patientia, in tribulationibus, in necessitatibus, in angustiis, in plagis, in carceribus, in seditionibus, in laboribus, in vigiliis. &c. Tunc verò Sacerdotes se veros magni Dei ministros exhibent, cum masculino & heroico animo afflictiones & aduersitates tolerant, & in necessitatibus & angustiis non fatiscunt aut succumbunt. illi verò boni illius Domini ministri non sunt, qui tribulationum impetum metuunt, & in terra sentibus libera & quæta se vivere posse sperant.

Vas electionis Paulus casus suos enarrans, hæc inter cetera ait, Cum venissemus in Macedoniam, nullam requiem habuit caro nostra, sed omnem tribulationem passi sumus; foris pugna, intus timores, ad eò ut perpetuo in còflictu ageremus. Verissimum & antiquissimum prælagium, Ecclesiasticos per tribulationum iter incedere debere, utpotè qui in medio còflictuum viuunt, pugnam foris, intus metum habentes, & vndique in aduersis & afflictione versentur.

Ecquid non pertuli, ait magnus Apostolus, in laboribus plurimis, in carceribus abundantius, in plagis supra modum, in mortibus frequenter, in itineribus sæpe, periculis fluminum, periculis latronum, periculis ex genere, &c. Quis obsecro Sacerdos hæc omnia legens, præ animi teneritudine non compatiatur, historiamque admirans illius vitam non imitetur, se omnium aduersitatum & persecutionum mundi scopum esse considerans.

Nemo moueatur, ait idem alio loco, in tribulationibus

Illi serui Dei sunt qui tribulationes perferunt.

2. Cor. 6.

2. Cor. 7. Sacerdotes semper in pugna versentur.

2. Cor. 11. Sacerdos scopus aduersitatum.

1. Theff. 13.  
Sacerdos  
tentatio-  
nibus non  
succūbar.

Boni tri-  
bulationi-  
bus obno-  
xij.

Epist 148.  
ad Valer.  
Sacerdotū  
munus pe-  
riculosum.

Sacerdo-  
rum offici-  
um terri-  
bile.

Ioan. Muscus  
in suo timo-  
rario c 149.

tionibus istis ; ipsi enim scitis quod in hoc positi sumus , vitaque nostra aduersitatum scopus sit. Quo loco duo notanda veniunt , primò Sacerdotes sub tribulationum mole immobiles & constantes debere persistere , deinde vitam illorum scopum esse , in quem aduersarij omnes furoris sui tela eiaculentur.

Inter cetera documenta Timotheo tradita ait Apostolus , Omnes qui pie volunt vivere in Christo Iesu , & vitam religiosam ducere , persecutionem patientur. Generalis regula , qua docemur , omnem Sacerdotem , qui sanctam ducere vitam voluerit , & virtutum iter insistere , sibi persuadere debere , esse sibi afflictiones tolerandas , omnemque mundi rabiem , furorem & indignationem generoso & heroico animo sustinendam.

Nihil est , inquit Augustinus , in hac vita , & maximè hoc tempore , difficilius , laboriosius , periculosius Episcopi aut Presbyteri , aut diaconi officii deinde nihil eodem beatus , si confligant pro ut illud imperauerit Deus summus Imperator. Dicere vult mea quidem sententia , Presbyterorum munus tot esse persecutionibus obnoxium , vt nisi quis diligenter aduertat , in presentissimo versetur discrimine.

Sanctus quidam presbyter de Sacerdotij pondere sibi imposito exoptulans , sibi onus quoddam intolerabile , dum ad ordines promotus est , impositum conquerebatur , magnum mihonus & intolerabile iniunctum est , Sacerdotisq; munus me terret immodicè. Idem repetere deberent Sacerdotes , ac cōsiderare , quàm graue vobis impositū sit munus & onus : tantum quippe pondus est & sarcina , vt ad sustinendum angelici sint humeri necessarij.

Non

Non est, inquit Chrysoftomus, nobis pugna spes una parata, sed bellum nobis varium ac multiplex propositum, varijs multiplicibusq; aduersarijs constans, nec omnibus eodem armorum genere tentibus, nec eodem nos strategemate oppugnandis: quamobrem qui eosdem expugnare & retundere gestit, omnes eorum artes & technas percolleat necesse est, inque omni sit conflictus genere versatissimus. Fateamini igitur necesse est Sacerdotes, varijs vitam vestram expositam esse periculis, cum assiduo in conflictu versemini, totque inimicis cingamini, qui ad cerramen vos inuitant; quare agite excubate, iisdem summa animi fortitudine resistite, eorumque technas detegite.

Hinc non immeritò exclamat Bernardus, & periculosam Sacerdotis vitam, Periclitatur Sacerdotis castitas in delicijs, humilitas in delicijs, pietas in negotijs, veritas in multiloquio. & caritas in hoc nequam seculo: quare fugite de medio Babylonis, fugite, & quantumcunq; saluate animas vestras. Sancte hæc exclamations satis ostendunt, quam sit Sacerdotij status periculosus, cum omni ex parte bellum ei indicatur, & nullo non loco infidie collocatæ.

Metaphoricè loquens Chrysoftomus ait, Sacerdotis nauem assidue tempestates circumstunt, huiusmodi autem tempestates non solum extrinsecus adoriuntur, sed etiam intrinsecus enascuntur, idque tam vehementer, ut sepe numero nauis fragum causentur. Quid hic ergo dicitis Sacerdotes, cum naues & cymbæ sitis in mundi huius oceano enauigantes, an non timetis, cum omnigenis persecutionum fluctibus, tempestatibus & ventis expositi sitis?

Z 5

Idem

Lib. 4. de Sacerd. Sacerdos plurimos conflictus sustineat necesse est.

Decouersat, ad clericos. c. 30. Sacerdotis vita vndique impetita.

Lib. 6. de Sacerd. Sacerdotij vita nauis comparati in medio maris enauiganti.

*Hom. 10. in* Idem auctor dicere solebat, Sacerdotes esse  
*Matth.* Ecclesie muros; atque ut muri & mœnia ciuita-  
 tum, balistarum impetu impeti solent, & cor-  
*Sacerdotes* mentis quati, ita Sacerdotes, veræ Ecclesie pro-  
*muri Ec-* pugnacula ethnicorum tyrannidi & hæretico-  
*clesiæ,* rû persecutioni expositi sunt. Vos igitur Sacer-  
 dotes, qui Ecclesie valla & propugnacula estis,  
 omnes persecutiones, & cunctas mundi oppo-  
 gnationes pati debetis.

*Lib. 1. epist.* Isidorus quoque allegorias consecutus, ait  
 50. virgam illam nuceam, quam olim vidit Iere-  
*Sacerdotes* mias, typum & imaginem Sacerdotij fuisse: ni-  
*virgæ Iere-* vt exterior nucis cutex asper & durus est, sed  
*mia perfi-* nucleus dulcis & sapidus; ita Sacerdotum statû  
*miles.* exterius quidem laborem ac difficultatem præ-  
 ferre, sed interius iucundum ac gratum esse. Ie-  
 signis hæc allegoria est, certum siquidem est  
 Sacerdotium interius abundare deliciis, exte-  
 rius verò laboribus & afflictionibus premi.

*Lib. 6. de* Aureum illud os, Græciæ oraculum dicere  
*Sacerdot.* solebat, Monachorum quidem laborem mul-  
*Sacerdo-* tum, & certamen ingens esse, sed qui volent eius  
*tum vita* instituti sudores cum Sacerdotij administra-  
*monachali* tione conferre, tantum inter illa duo discrimen  
*austerior:* reperitur, quantum inter priuatum &  
 regem interuallum. Quis obsecro, Deus bone-  
 credet, Sacerdotum vitam Religiosorum vita  
 austriorem esse; verissimum est tamen, si enim  
 monachos configere interdum contingat, hoc  
 in loco concluso, cincto, tuto & fauorabili cõ-  
 tingit, at Sacerdotes in medio mundi & aperto  
 in campo certamen ineunt.

*Pauci Sa-* Dicerene audebo & huic adferre, quod idem  
*cerdotes* Chrysostronus ait! Sacerdotum scilicet vitam  
*saluantur-* adeo

adèd periculosam esse, vt paucissimi salutem consequantur; plurimi verò damnationem incurrant, eo quòd à varijs impetantur hostibus, adèd vt quemquam saluari mirum sit, *Non ar-* *Hom. 3. in*  
*bitror, inquit, inter Sacerdotes multos esse qui sa-* *acta apost.*  
*luti frant, sed plures multò qui pereant.* An non perhorrescitis Sacerdotes dum auditis, tam paucos vestrum salutem consequi? vnde manifestum sit, munus vestrum periculosum esse, ac vitam persecutionibus varijs expositam.

*Heu me, inquit Bonauentura, Domine Deus,*  
*quia vndique mihi bella, vndique tela volant, vndi-*  
*que pericula, vndique impedimenta: quocumque* *In Pharet.*  
*me vertam nulla mihi securitas aut refugium;* *lib. 2. c. 1.*  
*quod mihi adulator & quod negotium facessit,*  
*formido; fames non minus quàm mensa suspe-*  
*cta mihi sunt; somnus simul & vigilia mihi ad-*  
*uertantur; labor non secus ac quies me oppu-*  
*gnant, & nullo non loco bellum mouent. Si* *Sacerdotù*  
*sanctus hic vir professionis suæ statum ita me* *vita vndi-*  
*tuebat, itaque angebatur, quid tot miseri Sa-* *que impe-*  
*cerdotes facient, qui sine vlla discretionem in-*  
*cedunt, sine discretionem viuunt, sine vllò metu*  
*laborant, in medio periculorum cantillant, in*  
*medio bellorum pacem sectantur, & quod illis*  
*spem adimere & metum addere debebat, in eo*  
*securitatem sibi affulgere putant. Melius igitur*  
*negotium vestrum disponite Sacerdotes,*  
*considerate tribulationum vos scopum esse,*  
*persecutionum exercitium, tentationum thea-*  
*trum, & certaminis locum, in quibus om-*  
*nes mundi confictus & impe-*  
*tus locum inueni-*  
*unt.*

CAP.